



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 54. Actum de articulo circa matrimonia clandestina.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæc. XVI. *luctantium, nec ullis deterriti minis cujus-*  
A.C. 1563. *vis hominis, finem imponatis.* Data erat  
 hæc Pontificis epistola die decima quarta  
 Augusti, in qua Pius IV. nullam quidem  
 de Seminario Romæ erigendo mentio-  
 nem fecerat, nihilominus idem Borro-  
 mæus in suis literis ad Legatos signifi-  
 cabat, quod statim, quam primum de  
 erigendis ejusmodi seminariis Tridenti  
 agi percepisset, animum adjecerit  
 ad id Romæ perficiendum, sicuti  
 autem brevi se id præstiturum inten-  
 debat, ita postea executioni dedit.

## §. LIV.

*Actum de articulo circa matrimonia  
clandestina.*

*Pallav. l. 22.*  
*t. I. n. 16.*

Postquam hi articuli proponerentur,  
 de duobus præprimis acriter dispu-  
 tatum est, quorum primus erat de clan-  
 destinis matrimoniis, ac de iis quære-  
 batur, an ea ob gravissima mala ex-  
 inde orta tanquam irrita essent decla-  
 randa? idcirco Oratores Galli, quo-  
 rum regna fortassis hoc incommodum  
 frequentius, nocentiusque patiebantur,  
 vigesimo quarto Julii a Concilio  
 Regis nomine solemniter petierunt, ut  
 hujusmodi matrimonia in posterum ir-  
 rita decernerentur, renovatis antiquis  
 nuptiarum ritibus: si vero gravi de  
 causa

caussa interdum aliter fieri opportunum Sæc. XVI.  
 censeretur, saltem matrimonia pro non A.C. 1563.  
 legitimis haberentur, quoties non ad-  
 essent Parochus, cum tribus, aut plu-  
 ribus testibus: insuper petebant, ut e-  
 tiam redderentur irrita matrimonia con-  
 tracta a filiis absque parentum consensu,  
 cum hæc plerumque essent noxia, ac  
 familiis indecora, & odiorum potius,  
 quam amoris fomes inter conjuges, proin-  
 ut iidem filii familias hac ratione in  
 officio contineantur, & familiis suis  
 ignominia labem inurere, ac ejusmodi  
 matrimonia inire præpedirentur, ad  
 quæ non nisi immoderata libido incitat

§. LV.

*Oratores Galli hæc matrimonia tan-  
 quam irrita declarari petentes.*

Insuper iidem Oratores petebant, ut Pallav. l. c.  
 simul remedium adhiberetur paren-  
 tum socordia in curando filiorum statu,  
 ac certus annorum numerus præscri-  
 beretur, quo absoluto, si nondum fi-  
 lius a parentibus matrimonio fuisset col-  
 locatus, fas illi esset, per seipsum  
 uxorem ducere.

Hæc quæstio haud exiguam con-  
 citabat disputationem tam circa Eccle-  
 siæ potestatem, quam ejusmodi legis  
 utilitatem: Pontifex autem pro eo,

Dd 5 quod